

DE IMPEDIMENTIS

Conclusio quinta. Bonitate intellectus sui, optimarum quoque disciplinarum capax erit, & plurimum in inuestigatione ueri atque iusti sollicitabitur, uolet quoque ut cuique iustitia fiat. Id apparet ex ascendente, Ioue, atque Marte, iuxta regulam Ptolemaei, uerbo 95. Centiloquij.

Conclusio sexta. Erit Philosophorum amator, legis seruator, intendet sapientiae, & in rebus occultis cogitandus erit. Id accipitur à Marte secundo domino triplicitatis domus tertiae, qui est fortis & potens à Sole receptus ex trino.

Conclusio septima. Quandam turbationem animi incidet, in qua ad auxilia armatorum confugiet, quorum opera liberabitur, probatur ex domino ascendente in septima Marti per retrogradationem applicanti, à quo tamen recipitur.

Conclusio octaua. Velocis & fortis iracundiae uirum, saepeque ab alijs dissentem, denotat pars legis in Ariete.

Conclusio nona. Amatorem quoque gaudiorum, iocorum, & laetitiarum, portendit pars legis iuncta Veneri.

CAPVT OCTAVVM.

De impedimentis animae.



In iudicio laesionum animae generaliter inspiciendus est Mercurius & Luna, quam conuenientiam ad inuicem habeant, & ad infortunas, tum etiam ratione locorum figurae caeli.

Epilepticos, id est, qui morbo caduco laborant, ex quatuor causis dinoscimus.

Prima, quando Mercurius & Luna non habent aspectum ad inuicem.

Secunda, quando neque Mercurius neque Luna ascendens aspiciunt, maxime ipsis existentibus in Capricorno & Piscibus in sexta, octaua uel duodecima domo.

Tertia, si natiuitas est diurna, & quod Saturnus sit in angulo fortis, & in nocturna Mars, respicientes Mercurium & Lunam.

Quarta, si etiam Saturnus & Mars, impediunt Mercurium & Lunam, per aspectum inimicum, uel per dominium in testimonijs, hoc est, ut sint domini locorum Mercurij & Lunae. Cum haec praedicta quatuor in aliqua genitura reperta fuerint, talis natus patietur morbum caducum, qui à Medico non curabitur. Si uero duo aut tria ex his inuenta fuerint in aliqua genitura, poterit talis natus curari per uiscus quercinum, quod collectum fuerit, Ioue in aliqua suarum dignitatum existente. Si praedicta quatuor in aliqua natiuitate reperta fuerint, dummodo tamen aliqua fortuna Mercurium aut Lunam aspexerit, adhuc poterit liberari.

Insani & furiosi etiam ex quatuor causis dinoscuntur.

Prima, quando Mercurius & Luna non habent aspectum ad inuicem.

Secunda, quando non aspiciunt ascendens.

Tertia, si in diurna natiuitate sit Mars in angulo fortis, sed in nocturna Saturnus.

Quarta, quando Mars uel Saturnus aspiciunt Mercurium uel Lunam, uel habent dignitatem in eorum locis, Cum haec quatuor in alicuius natiuitate inuenta fuerint, erit talis homo fatuus in omni uita sua, maxime cum infortuna in Cancro, Virgine, uel Piscibus fuerint.

Dæmoniaci etiam quatuor ex causis iudicantur.

Prima, quando Mercurius & Luna non habent aspectum ad inuicem.

Secunda, quando non aspiciunt ascendens.

Tertia, quando Luna sit ascendens sub radijs Solis, uel in eius opposito.

Quarta,